



Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Pacis Westphalicæ Publica

Oder Westphälische Friedens-Handlungen und Geschichte

Worinnen enthalten, was vom Anfang des Jahrs 1647. biß gegen Ende desselben zwischen Jhro Römisch-Kayserlichen Majestät, dann den Beyden Cronen Franckreich und Schweden, ingleichen des Heiligen Römischen Reichs Chur-Fürsten, Fürsten und Ständen, zu Oßnabrück und Münster gehandelt worden

Meiern, Johann Gottfried von

Hannover, 1735

VD18 90566467

N.II. Deßgleichen in puncto Justitiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52129](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52129)

1647.
April.

v.

Illi autem Statuum Immediatorum subditi, qui post Pacem publicatam deinceps futuro tempore diversam à suo superiore Religionem profiteri deprehenduntur, iussu quidem Magistratus Religionis causa termino quinquennali præfixo emigrare teneantur: quod si intra hoc spatium bona sua vendere, aut commoditatem domicilii transferendi invenire nequiverint, vel neglexerint: secundus & denique tertius terminus quinquennalis præfigatur, quo elapso, si etiamnum moras nectant, Jure suo in ipsos uti Magistratibus permissum esto. Hoc modo autem coacte emigrantibus idem beneficium competat, quod paulò ante iis, qui sua sponte emigrant, concessum est.

N. II.

*Præsentat. d. 30. April à Dominis Cæsarean. &
Diæt. d. 1. May Anno 1647.*

Der Kayserlichen Gesandten Auffzag, de Justitia.

Actum præterea est, cum ob enatas ex præsentis bello mutationes consultum videatur Judicium Camerae Imperialis ad alium universis Imperii Statibus commodiorem locum transferre, etiam de modo præsentandi Judices & Assessores pares numero utriusque Religionis disponere, idque in præsentis Congressu ob Statuum paucitatem negotiisque gravitatem adeò facile expediri nequeat, ut his de rebus in proximis Comitibus per Imperatorem de consilio Electorum indicendis agatur & conveniatur, deliberationesque de Reformatione Justitiæ in nupero Deputatorum Imperii Conventu Francofurtensi habitæ effectum dentur; et si quæ in his desiderari videntur, suppleantur. Interea tamen Status de præsentandis maturè in locum demortuorum novis ad Iudicium Camerale Assessoribus admoneantur; Cæsareaque Majestas mandabit, ut non solum in isto Iudicio Camerali Cause Ecclesiasticæ, ut & Politicæ inter Catholicos & Augustanæ Confessionis Status, vel inter hos solos vertentes, adlectis ex utraque Religione pari numero Adfessoribus, discutiantur & judicentur, sed idem etiam in Iudicio Aulico observetur, huicque fini aliquot Augustanæ Confessionis doctos & rerum Imperii peritos viros ex iis Imperii Circulis, ubi vel sola Augustana vel simul etiam Catholica viget Religio, adficeat, eo quidem numero, ut eveniente casu paritas judicantium ex utraque Religione Assessorum observari possit, servatis quoad processum iisdem cum Ordinatione Camerae legibus, quantum quidem causarum illuc devolutarum natura patitur.

Siquæ vero dubia circa interpretationem Constitutionum, & Recessuum Imperii publicorum occurrunt, aut in dijudicandis causis Ecclesiasticis ex paritate Adfessorum utriusque Religionis contrariæ oriuntur Sententiæ, remittuntur ad Comitibus Imperii Universalibus, nisi interea amabili partium compositione finiantur, atque in Aulico non minus, quam in Camerali Imperiali Iudicio Privilegium Primæ Instantiæ, Austregarum, Iura & Privilegia de non appellando Statibus Imperii illibata sunt, nec per Mandata aut Commissiones, aut quovis alio modo turbantur.